



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 24. At ipse respondens ait, qui intingit mecum manum in paropside hic
me tradet. v. 23.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

O Domine fac obsecro cum seruo tuo gratiam, ut nunquam vel iniquum aliquod mente volvam, minus vero perficiam opere, sed ob peccati gravitatem & iniquitatem cum bonis Apostolis semper perterreat, & cum tremore exanimem conscientiam, si quid fors lateat iniquitatis aut peccati, & continuo pœniteam & emendare studeam.

§. 23. *Et contristati valde cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine.*
v. 22.

Quis non contristaretur ad tale crimen traditionis obiectum? quis non interrogaret? *nunquid ego sum Domine?* boni bene & cum timore interrogabant, ad conscientiam suam exonerandam si quid forte lateret; At Iudas; nequiter imitatus collegas etiam ipse interrogare magistrum suum & dicere & urgere, cum tamen sciret se iam petiisse pecunias, & sibi Iudæos spondidisse ad hoc crimen perpetrandum triginta argenteos. O Inique Iuda, qui finis contristati fratres tuos innocentes! cur non aperis mentem & peccatum tuum ante medicum, qui te in momento sanare potest & vult, viden? quomodo indaget vulnus tuum ut agnoscas, ut aperias, quid ergo mirum si moriaris tua culpa, qui medico perito vulnus tuum detegere renuis, nec vis ut per ipsum cureris.

Domine custodi me à tanta iniquitate semper & perversa impœnitentis animi, confiteri nolentis, sed si cado in peccatum statim & ipso quidem momento perpetrati sceleris pœniteam & lugeam me sauciatum, atque compunctionem quam tu, mi Iesu, offers, lubens acceptem.

§. 24. *At ipse respondens ait, qui intingit mecum manum in paropside hic me tradet.*
v. 23.

Cum Dominus Iesus obstinatum Iudam ad pœnitentiã urgeret, qui condiscipulos magna tristitia impleverat & variis cogitationibus suæ malitiæ turbaverat, ut manifestum magis redderet proditorem, cæteros securiores, ait; non solum est commensalis noster, & præsens, sed etiam *intingit manum mecum in paropside*, (& cum hoc diceret Dominus, manu extenta Iudas revera intingebat): At hæc omnia Iudas audit, & non movetur. *O Auri sacra fames! quo non mortalis cogis pectora?*

AH Domine, si quid tale cogit aut premit cor meum, quod à vera me pœnitentia abstrahit, potenti verbo virtutis tuæ remoue, ut me potius publice coram toto mundo confundam, quam à tua charitate in æternum separer.